



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divus Sebastianus Eberspergæ Boiorum Propitius, Seu Cultus Eiusdem Gloriosi Martyris à Prima Loci Fundatione Ad Nostra Usque Tempora Propagatus, Et Nunc Publicæ Luci Datus**

**Widl, Adam**

**Monachij**

Caput VIII. Particularia quædam de Cultu S. Sebastiani M. per Orbem  
Christianum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37233**

## CAPUT VIII.

PARTICULARIA QUÆ  
DAM DE CULTU S. SEBASTIANI  
MARTYRIS PER ORBEM  
CHRISTIANUM.

**E**A est D. Sebastiani, tamquam antiquissimi & præstantissimi Martyris per totum, quàm latè patet, Christianum Orbem æstimatio, prærogativa, ac excellentia, ut cum præcipuorum Sanctorum veneratione certare possit, de qua cum supra jam in *Synopsi vite* §. 3. multa dicta sint, aliqua tamen particularia in honorem Divi, & ornatum huius Tractatûs per distinctos Paragraphos addenda hîc censui, maximè, quæ Eberspergam concernunt.



§. I.

CULTUS D. SEBASTIA-  
NI MARTYRIS ROMÆ, ME-  
DIOLANI, NARBONÆ ET  
ALIBI.

Pulchra sunt, & ad nostrum  
propositum faciunt, quæ elo-  
quentissimus Pontifex S. Leo I. de  
Urbe Roma olim Ethnica, tum ve-  
rò Christiana scribit, dum *serm. 1.  
de Natali Apost.* ait: Hæc autem Ci-  
vitas ignorans suæ profectionis  
Auctorem, cum pænè omnibus do-  
minaretur gentibus, omnium gen-  
tium serviebat erroribus, & ma-  
gnam sibi videbatur assumpsisse Re-  
ligionem, quia nullam respuebat  
falsitatem: at ubi per Apostolorum  
Principes ipsi Evangelium Christi  
resplenduit, quæ erat magistra er-  
roris, facta est discipula veritatis,  
& per Sacram Petri Sedem ad eam  
gloriam profecta est, ut gens fan-  
cta, populus electus, Civitas Sacer-  
dota-



236 *Cultus S. Sebast. M. Roma, Medit,*  
dotalis & Regia, Caputque Or  
bis efficeretur, latiusque deinceps  
præsideret Religione, quam domi  
natione terrenâ: quamvis enim  
multis aucta victoriis jus Imperii  
sui terrâ marique protulerit, minus  
tamen fuit, quod ipsi bellicus labor  
subdidit, quam quod pax Christiana  
na subjecit &c. Illa igitur Civitas  
quæ duobus seculis, & ultra à Ne  
rone ad Constantinum sub immani  
decem persecutionum turbine tam  
copioso Christiano sanguine nara  
vit, repente demum immutata &  
suavi Christi jugo subdita arenam  
illam Cruoris vertit in theatrum  
gloriæ, vicem Martyribus reddidit,  
& quos antea vario tormentorum  
genere ac apparatu de medio su  
stulit, illos postea, ceu Heroës ac  
Victores impietatis, multiplici ve  
nerationis significatione præ anti  
quis suis Scævolis, Horatis, Pom  
peijs & Camillis palàm adoravit,  
coluit, prædicavit. Ab hac Civi  
tate,

R  
J  
*Romana Vr  
bis Religio in  
honorandis  
Sanctis.*



rate, ex qua antea furoris, sævitæ,  
& crudelitatis petebantur instru-  
menta, ex qua fatalia & sanguino-  
lenta in Christianos emanabant  
decreta, postea fluxere pietatis &  
venerationis in reliquum orbem  
exempla. Inter alios ergo Sanctos,  
quos Roma post Apostolorum Prin-  
cipes magnificè quoque colere cœ-  
pit, præ omnibus D. Sebastianus  
nobis commemorandus venit. Su-  
pra diximus, Sebastianum Romæ  
unam ex primariis septem Ecclesiis  
obtinuisse: quæ sanè ingens præ-  
rogativa est, & post DEI gloriosam  
Parentem, post Apostolorum Prin-  
cipes vix ulli Sanctorum, quàm  
Divo Laurentio & Sebastiano, con-  
cessa. Verùm quid non agit Ro-  
mana pietas Natali luce hujus san-  
ctissimi Martyris, Januarii vigesimo  
honori ejus dicato? Exit tunc Ro-  
ma extra mœnia in honorem San-  
cti sui in viam Appiam, ad Cata-  
cumbas, & antiquissimam Basili-  
cam:

*Cultus S. Se-  
bastiani Ro-  
mæ,*



238 *Cultus S. Sebast. M. Romæ, Mediolani*  
cam: adit locum & palæstram, ubi  
olim Christi pugil egregius sagitta  
confixus fuit: adit & cloacam nunc  
sacrâ æde superinductam, ubi cor-  
pus ejus unco olim infixum in for-  
des demersum erat, indéque à Lu-  
cina decentissimè sublatum. Vnde  
deinde, die vix Religioni suffici-  
ente, alia per Urbem sparsa S. Se-  
bastiani Sacella Reliquiis ejus & ce-  
lestibus beneficiis celeberrima. Ego  
illa ædificia Divo Martyri à variis  
Pontificibus, Cardinalibus & Prin-  
cipibus Romæ excitata singillatim  
hîc non describo, cum Bollandus  
in Actis Sanctorum XX, Januarii  
luculenter præstiterit. Ad propo-  
situm nostrum facit, id solùm de-  
monstrare, Cultum D. Sebastiani  
sub ritu duplici per totam Ecclesi-  
am præceptum Romæ admodum  
florere, indéque, velut ex fonte  
Religionis imitationem in reli-  
quum quoque Christianum Orbem  
promanâsse. Néque mirum, quod  
Ro-



Romam Sanctitatis metropolin & dominam reliquæ ancillæ Urbes sequantur, ejusque exemplum pro imperio habeant: Nam ea demum religio omnium re ipsâ solidissima ac constantissima est, quæ ab Arce ipsa egreditur, & à majoribus incipit.

Post Orbis Reginam aliæ quoque Civitates memorandæ sunt D. Sebastiano addictæ: Amplissimum imprimis Mediolanum, & Narbona Martia Liliorum gloria, ista quidem honestissima Sebastiani Patria, illa educationis ingenuæ statio; Suefio quoque Divi Reliquiis præ cæteris insignis Civitas, utpote quò, eodem Bollando teste, sancti Martyris corpus translatum est. Et Mediolanenses quidem ex quo tempore horrenda illa pestis Anno M. D. LXXV. impetratis velut quibusdam mortis induciis, sopita est, sanctum Convicem suum funestæ luis depulsores novo & magnifico

*Cultus S. Sebastiani Mediolani & Narbonæ.*

Q

extru-



extructo templo honorârunt quod  
 tidiano deinde per totum annum  
 votivo sacro eum in finem libera-  
 liter fundato, annuâ præterea sup-  
 plicatione & pridiano jejunio es-  
 annum colunt. Ejus pietatis Au-  
 ctor præcipuus, ac promotor fuisse  
 traditur S. Carolus Borromæus, qui  
 tempore illius Sedis Archiepiscopus  
 Religiosissimus, qui consensu  
 suggestu (uti erat inspirante Deo)  
 supra hominem facundus) popu-  
 lum omnem in vota & suspiria tra-  
 xit, & sancto Municipi Sebastiano  
 totum quantum addixit, ac lucrifi-  
 cit: Moxque pestis, juxta sancti  
 Antistitis vaticinium, illo ipso die,  
 quem assignavit, desit, ut scribit  
 Bollandus loco citato, & habetur  
 in Sancti Cardinalis vita.

Fusus nimirum sim, si Provincias  
 omnes, Regna & Urbes in D. Se-  
 bastiani Cultu officiosas succinctorum  
 etiam calamo hîc exequar, plures  
 illarum Romæ & Mediolani amu-

*S. Caroli Bor-  
 romæi studi-  
 um erga S.  
 Sebastianum*



las D. Sebastiano obligatas, quia pesti ereptas, adducit idem Auctor, ad quem piè curiosum Lectorem remitto, si præ compendio tomos amat,

§. II.

CULTUS D. SEBASTIANI  
MARTYRIS EBERSPERGÆ  
BOIORUM.

POST lustratas peregrè Regiones inspectatasque Urbes S. Sebastiano devotas Eberspergam ex itinere redeo. Verùm quid illa respectu tantarum, ac turritarum Civitatum? Num ipsa casas suas & mapalia illis opponet, & se putabit aliquam? Imò verò, si de S. Sebastiano agitur, præ omnibus ambitiosa Ebersperga videri cupièt, & quæ in Divi cultū à nulla Civitate vinci ultrò, ac lubens superari velit.

Tria ut plurimum sunt officiorum genera, quibus populi Cælitibus

Q 2

bus



242 *Cultus D. Seb. M. Ebersperg & Bojvri*  
bus addicti pietas probatur, & Cul-  
tus Divorum maximè inclarescit.  
Unum est, quo divina Sacrificia,  
Ecclesie Mysteria, & Sacramentalia  
uti vocant, continentur. Alterum  
quod in adeundo gratiarum loco  
pii peregrini publicum quasi testi-  
monium deponunt; cum vel in  
græ Urbes, pagi, & Oppida, vel etiam  
singuli, prout quemvis Religio-  
nis magnes trahit, se eò ferunt,  
& actu ipso dicunt: en! adsumus,  
vel voti exsolvendi rei, vel petenda  
opis causâ in præsentî necessitate,  
quæ nos vel in corpore, vel parte  
animi tenerrimâ premit. Tertium  
Cultûs argumentum petitur ex pio-  
rum donis & anathematis variis,  
quæ liberalis Benefactorum geni-  
us ad perpetuam rei memoriam  
benefico ejusmodi Divo ac Patro-  
no suo relinquit. Et hæc quidem  
sunt conspicuæ illæ ex auro, argen-  
to, aliave pretiosa materia opes &  
divitiæ, quæ nullibi clariùs splen-  
dent.



dent, quàm in Domo DEI. Hæc omnia hoc loco distinctis pro more Paragraphis persequi est animus, non quidem eâ accuratâ, & pænè scrupulosâ solertiâ, ut minutim omnia pietatis officia prolaturi simus, ne in longum abeat narratio, sed ea tantùm quæ suapte luce latere nolunt, & vel rerum præstantiâ, vel personarum dignitate supra vulgus commendationem merentur.

§. III.

CONGREGATIO SUB  
NOMINE ET TITULO S. SE-  
BASTIANI M. EBERSPERGÆ IN-  
STITUTA ET PROPAGA-  
GATA.

**L**ocus quidem hîc foret, dicendi breviter aliquid de ornatu argenteo Eberspergensis Ecclesiæ, & decore Domûs DEI, de ordine Sacerorum, & divinis officiis statò tempore ibidem haberi solitis, de  
Q<sub>3</sub> fre-



frequentia confitentium, de numero Eucharisticorum Convivialium sacro epulo quotannis accumbentium, quæ utique omnia ad DEI cultum & D. Sebastiani plurimum conferunt, nihilominus consultius visum est, ea omnia vercundâ quadam modestiâ involvere. Nam & sua quoque silentio vox est, ubi res ipsa per se loquitur, & quandoque plus tacendo, quam scribendo dicitur. Ut autem peculiaris S. Martyris Congregatio non prætereat, res ipsa postulare videtur. Ad cultum ergo Divi Indigetis partim domi inflammandum, partim forâs latius propagandum erecta est Eberspergæ Congregatio sub titulo & nomine S. Sebastiani. Et sanè decebat, tam salubre consilium pridem cogitatum tandem executioni mandare. Pålâm constabat, alibi D. Sebastiano Confraternitates institutas haberi, & cur non etiam Eberspergæ, qua

the-



thesauro sanè invidendo, Divi  
Thaumaturgi pretioso Cranio glo-  
riatur? Post multa molimina eru-  
pit aliquando in actum publica pie-  
tas, hætenùs in corde multorum  
conclusa, consilio maximè & operâ  
nostrorum Patrum, qui honestio-  
res Cives Eberspergenes suaviter  
& efficaciter ad salutare opus indu-  
xerunt. Iis satagentibus coaluit  
modicis, ut fit initio, primordiis  
in corpus quoddam inclyta hæc  
Congregatio IV. Martii Anno Chri-  
sti M. DC. XLIV. Non nisi qua-  
draginta capita erant, quæ nomina  
sua auctorârunt; at mox crevit  
auctu ingenti hæc D. Sebastiani Fa-  
milia: Nam ubi è cathedris res  
promulgata est, & fama per pagos  
& Oppida æstimationem addidit,  
accessère majore numero continuo  
plures, etiam sanguine ac dignitate  
insignes, ita, ut mense Julio anni  
ejusdem plures trecentis conscripti  
sint Sodales, viri centum triginta

Q 4                      sex,



sex, de feminis centum septuaginta  
 sex. Néque meri rustici, ut dixi  
 aut plebeij hunc numerum confe-  
 cerunt, sed multi de venerabili Cle-  
 ro, & Viri, Natalibus, Scientiâ &  
 Gradibus conspicui. Secuta post-  
 liminiò etiam Serenissima ac Infu-  
 lata nomina: quippe ipsemet Sere-  
 nissimus Albertus Bavarix Dux, &  
 Serenissimus ac Reverendissimus  
 ejus filius Albertus Sigismundus  
 Episcopus Frisingensis & Ratisbo-  
 nensis, munificentissimus, uti po-  
 stea dicemus, S. Sebastiani Benefa-  
 ctor huic inscribi cœtui elementissi-  
 mæ dignitati sunt, quasi inter opaca  
 rusticorum nomina, veluti um-  
 bram quandam, meliùs, ut ita di-  
 cam, elucescerent vivi colores, &  
 Serenissimi D. Sebastiani Cultores.

*Congregatio-  
 nis Regula  
 & munia.*

Ne verò ex altera parte spiritali-  
 bus suis ornamentis careret hic re-  
 cens inchoatus cœtus, Regulæ quæ-  
 dam, quæ maximè ad rem, ac ho-  
 minem forent, servatùque facillimè  
 ma,



ma, congestæ sunt pauca, sed nervosa, quas suâ Auctoritate approbavit Celsissimus ac Reverendissimus Frisingensium Episcopus Vitus Adamus, tunc Loci Ordinarius. Adidit suas Indulgentias Summus Pontifex Urbanus VIII, dein etiam Alexander VII. ille XXV. Maii Anno M. DC. XLIV. ipse XII. Octobris Anno M. DC. LXII.

Porro quæ præcipua hujus Congregationis munia sint & cærimoniarum, non abs re erit, paucis ostendere: Singulis mensibus semel, videlicet alterâ in ordine Dominicâ celebrant Sodales Conventum præviâ exhortatione. Hic Conventus primis temporibus, cum pauciores essent Sodales, instituebatur in ipso D. Sebastiani Sacello, loco à templo separato, crescente verò Sodalium numero, & ut ceteri quoque nondum conscripti, vel piam sibi exhortationem lucrifacere possent, vel sacrâ hac escâ & ceterorum

Qs rorum



rorū exemplo attraherentur, trans-  
latus est ad publicum templum.  
Conveniebant quoq; antehac me-  
diâ primâ, aut paulò post; quoni-  
am verò notatum est, tempus illud  
plurimis valde incommodum ac-  
cidere, ut propterea pauciores  
quandòque comparerent, prudent-  
ter omnino, & utiliter de voluntate  
majorum Conventus post Vesperas  
dilatus est; docuitque experientia  
ab eo tempore Ecclesiam copioso  
auditore affluere. Finitâ exhorta-  
tione instituitur Processio cum Ve-  
nerabili Sacramento quod sub Um-  
bella Damascena deportatur, S.  
Cælum favet, proditur foras non  
sine pompa & vexillis per plateam  
majorem. Præfertur in pegmate  
portatili, seu ferculo Statua S. Seba-  
stiani argento inducta sub papilio-  
ne purpureo: comitatur confertus  
populus cum scipionibus peregrin-  
natoriis. Semel in anno, hoc est  
proximâ Dominicâ post Festum S.

Udal



Udalrici Episcopi, quâ die Congregatio celebrat annuam Magistratûs sui renovationem ac promulgationem, paulò solenniore pompâ & ordine deportatur per forum Oppidi Sacerdotum humeris ipsum D. Sebastiani Martyris celeberrimum Cranium in argentea Statua, quam infra describemus, decentissimè conclusum, magnâ populi undiq; ad spectaculum accurrentis Religionis. Memorant Congregationis Annales, semel, iterumque Serenissimum Principem Albertum, & Serenissimum ejus filium Albertum Sigismundum Episcopum Frisingensem ac Ratisbonensem, cum ex occasione venationis, aut Religionis causâ Eberspergæ præsentem coram adessent, Processiones ejusmodi cum tota aula sua, viâ quantumvis luteâ, nec satis mundâ foras comitari non erubuisse, exemplo sanè supra omnes stellas, quæ Orbi ex alto prælucent, Serenissimo, ac



caelesti. Huic proximum est, etiam Illustria Capita, de sanguine Comitum, Præfecti, seu Summi Magistratus munere fungi non horuisse.

Ut autem de Statutis & Regulis hujus Congregationis cognitio aliqua disseminetur, & ad plures pertingat, placuit eas quoque succincto calamo ex vernacula in Latine fideliter translatas hinc apponere.

**REGULA I.** Omnes utriusque Sexus intra, & extra Eberspergam hujus Congregationis capaces sum dummodò sint honestæ vitæ & Conversationis, quæ Christianum deceat.

**II.** Omnes, qui Confraternitatis huic nomen dare voluerint, sestant Congregationis Præfecto, Secretario, ut legitimè inscribi possint. Admissione impetratâ ad lucrandas plenarias Indulgentias legitimè confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumant.

**III.** Et



III. Finis Congregationis specialis hic est, ut Clementissimus DEUS sub tutela Sancti & Gloriosi Martyris Sebastiani Patriam universam & omnia Congregationis membra à subitanea & improvisa morte, nec non à peste, & Epidemia benignissimè protegere ac servare velit, idque maximè intuitu pretiosi Cranii S. Sebastiani, quod in Ecclesia Eberspergensis tot jam seculis summa Religione ac veneratione asser-  
vatur.

IV. Cùm verò tam Auctoritate Sacræ Scripturæ, quàm multiplici experienciâ constet, generales ejusmodi plagas, ac pœnas integris Provinciis à DEO justè immitti ob peccata & scelera hominum, cùm suam mensuram compleverint, qualia plerùmque sunt supinus torpor in spiritualibus, aut contemptus in rebus Sacris, frequentatæ & in habitum versæ execrationes, blasphemias & pejerationes, quæ ponunt  
in



in Cælum os suum, oppresione  
 pauperum, viduarum, ac pupillo-  
 rum, vitia carnis & libidines, ran-  
 cores, odia, dissensiones, lites, dol-  
 mali, & detractiones proximi: Hinc  
 membra hujus Sodalitatis unice  
 laborent & fatagant, ut ejusmodi  
 peccata & in seipsis caveant, & in  
 aliis viritim impediunt.

V. In hunc finem omnes & sin-  
 guli studeant, ut per hebdomadem  
 sæpius Sacro intersint, & quotidie  
 saltem ter Orationem Dominicam  
 & Salutationem Angelicam devotè  
 recitent.

VI. Præterea fatagant, quoad  
 fieri poterit, ut Congregationis  
 Conventibus diligenter intersint,  
 nec non Solemnitatibus, præsertim  
 in Festo S. Sebastiani, & proxima  
 Dominica post Festum S. Udalrici,  
 quâ die propter Indulgentias pla-  
 narias, & præcipuam Congrega-  
 tionis Festivitatem solenne Offici-  
 um pro more decantatur in bonum  
 Con-



Congregationis & membrorum ei adscriptorum. A prandio, præviâ exhortatione novus Magistratus eligitur, ac promulgatur, nec non Regulæ ad omnium scitum & informationem publicè præleguntur.

VII. Pro ordinariò Conventu, uti & Processione singulis mensibus per totum annum habenda determinata est secunda Dominica cujusvis mensis; prima verò Dominica assignata est lucrandis Indulgentiis plenariis mensuris pro Animabus in Purgatorio.

VIII. Anniversarius dies pro defunctis Sodalibus instituitur semper proximâ die Lunæ post Festum S. Udalrici; quo etiam die nomina Defunctorum eo anno, & admisorum in Congregationem ex ipsa ara recitantur. Singulis item anni quadrantibus, seu quatuor temporum pro iisdem defunctis cantatur Officium funebre die Veneris designa-



gnato, & toties unum, vel plura  
 Sacra leguntur pro quovis Sodale.  
 quoties ex hoc seculo unum eorum  
 migrare contigerit, ejusque mortis  
 Congregationi legitime annuntia-  
 ta fuerit.

IX. Ad has Congregationis Fe-  
 stivitates, quoad fieri poterit, om-  
 nes pro occasione convenient, &  
 juxta ritum Catholicum quivis ob-  
 latuunculam suam aræ imponat,  
 quæ oblationes & dona alia qua-  
 eunque ultrò, spontè & ex boni  
 voluntate & devotione data fue-  
 rint, in Congregationis bonum, &  
 ordinarias expensas, ac necessita-  
 tem vel ornamentum applicabun-  
 tur, & impendentur.

X. Si quem in Eberspergenia  
 aut eò pertinente parochia dicitur  
 suum obire contigerit, ejus obitus  
 etiam ceteris distantibus & remo-  
 tioribus opportunè significabitur,  
 ut reliqui quoque Sodales in aliis  
 parœciis existentes id tempestive  
 intel-



intelligent, & pro sua quisque devotione defuncti animæ meminisse, ac fraternâ ope subvenire possint. Quòd si verò humanitùs contingeret, ut quis indecorè, vel inhonestè, & hisce Regulis valde difformiter & indignè se gereret, penès Congregationem erit, præviâ debitâ informatione talem de suo Albo & gremio expungere. huc usque Regulæ, quibus connecto tabulam Indulgentiarum.

Et Plenarias quidem consequitur unusquisque ritè confessus & communicatus ipso admissionis die, & in Articulo mortis, item proximâ Dominicâ post Festum S. Udalrici Episcopi, si præviâ Confessione & Communione Sacrà Ecclesiam S. Sebastiani visitaverit, ibidèmq; pro extirpatione Hæresum, Concordia Christianorum Principum, S. R. Ecclesiæ augmento & propagatione oraverit. Septem annorum Indulgentias & totidem Quadr-

*Indulgentia  
Congregationis.*

R

dra-



dragenas lucrantur Sodales Festo  
 Natæ Virginis, Purificatæ, & Assump-  
 ptæ, item Dominicâ secundâ post  
 Pascha: Sexaginta verò dierum to-  
 ties, quoties Conventui Congrega-  
 tionis interfunt; quoties pauperem  
 hospitio recipiunt; quoties dissi-  
 dentes componunt, aut reconcili-  
 ant, pacemque facere student; quo-  
 ties funus ad Sepulcrum, aut Vene-  
 rabile Sacramentum ad ægros co-  
 mitantur; quoties quinquies ora-  
 tionem Dominicam, & Salutatio-  
 nem Angelicam pro Consodalibus  
 recitant: quoties ignorantes in re-  
 bus fidei erudiunt, aut aliud opus  
 Charitatis, vel Misericordiæ proxi-  
 mo impendunt. Ad has Indulgen-  
 tias accedunt eæ, quæ dicuntur  
 Stationum, seu septem Altarium,  
 quâvis Dominicâ secundâ Mensis,  
 quâ habetur Conventus, lucranda.  
 Quæ sanè liberales gratiæ & cæle-  
 stes favores merito illicium esse  
 possunt perquam opportunum, quo  
 multi,



multi, magno utique suo bono, in hanc Congregationem attrahantur; uti & illud, quod de nullis, vel certe paucis constet peste, vel Epidemiâ sublatis, qui hujus Congregationis membra, ac Sodales fuerint.

Præ omnibus autem placet finis hujus Sodalitatis, quem latè patens charitas cum ingenio excogitavit. Is est, uti supra in Regulis dictum, non privatus, sed latè patens, ac communis: Patriæ scilicet incolumitas, ut DEUS Bavariam singulari intercessione S. Sebastiani, ceu præstantissimi Archiatri à mala lue immunem servare velit. Quæ ratio quàm emergens & eximia sit, quàmque Congregationi illi honorifica, utpote quæ Sodalium suorum, actiones & munia, preces & obsequia Bono publico consecrat, satis per se palam est, nec descriptione indiget, aut encomio ampliore.

R 2 §. IV.



## §. IV.

SANCTI SEBASTIANI  
MARTYRIS PROPRIUM ET  
MAGNIFICUM EBERSPERGÆ SA-  
CELLUM, A TEMPLO SEPA-  
RATUM.

**H**abet S. Sebastianus Ebersper-  
gæ proprium, ac peculiare  
Sacellum, idque elegans inprimis,  
ac sumptuosum, & loco à reliquo  
templo secretum. Hic quasi in aula  
propria ac Residentia pretiosū Divi  
Cranium & argentea ipsius Imago  
per annum religiosissimè asserva-  
tur. Descriptionem Sacri Recon-  
ditorii breviter subjungo.

*Descriptio  
Sacelli S. Se-  
bastiani.*

Surgit ergo Venerabilis hic locus  
undequaque Religionem spirans,  
alto inprimis & rotundo fornice  
apertus ac cameratus, gypso undi-  
que florido in artificiosas formas  
& corymbos, encarpa, ac lemni-  
scos mirâ gratiâ ludente, interstiti-



etis quibusdam imaginibus de ingenioso penicillo, quibus illustre D. Sebastiani Martyrium felici arte representatur. Oblongis tribus fenestris justæ altitudinis, candidissimus ab Oriente dies per crystallinos ex pellucido vitro oculos ingreditur, lucisque copiâ totum locum abundè replet. Pavimentum ex polito & lubrico marmore totum lucet. Muri, ne quid vacuum, aut otiosum appareat, ingentibus cistis arte sculptoriâ enucleatis, & candidâ vernice inductis distinguuntur, quibus totidè quasi splendidis receptaculis & dormitoriis sacra lipsana, ceteraque spectabilis sacra supellex pulchro ordine collocata per illustre vitrum tralucet. Ara D. Sebastiano quidem unica, sed pretio multiplex, dicata stat, eaque tota quanta ex marmore porphyretico, venis hinc inde scitè errantibus vermiculata. Moles tota opere Corinthiaco ge-



260 *S. Sebast. Proprium ac Magnificum*  
minis Columnis, ac basi marmorea  
sustentatur. Inseta imago perita  
manu expressa D. Sebastianum ar-  
bori alligatum & sagittis confixum  
sensu admodum pio & tenero ex-  
hibet. In hac Ara, uti supra in-  
nuatum, perpetuam statione prostat  
antiquissima D. Sebastiani Imago  
pectore tenus ex argento affabre  
elaborata, cui pretiosum Cranium  
ad modum situs humani Capitis in-  
clusum est, ita tamen, ut, quando  
usus requirit, inde tolli & eximi pro  
occasione possit. Capiti argentea  
Iconis superstat pileus militaris, seu  
Ducalis, ex argento factus, cui pre-  
terea Corona ex Unionibus & Be-  
rillis implexa est, ipso pileo aliquan-  
tum supereminens. Limbum, seu  
Circulum pilei varii pretiosi lapides  
diversorum colorum mire scintil-  
lantium circumdant. Collum &  
pectus argenteum, torques pariter  
ex auro & corallo incingunt &  
ambiunt, pendula item numismata  
anti-

*Statua an-  
tiqua argen-  
tea S. Seba-  
stiani.*



antiqui præli ex auro & argento, præcipuorum Clientum dona & anathemata. Statua ipsa antiqui operis, magis à probitate metalli, quàm ab arte commendatur, ac per hoc ipsum plus venerationis à vetustate, & seculorum canitie obtinet.

Porro hujus Sacri Reconditorii, ac splendidæ Capellæ proprius Architectus ac Munificentissimus instructor est Serenissimus & Reverendissimus S. R. I. Princeps Albertus Sigismundus Episcopus Frisingensis & Ratisbonensis utriusque Baviaræ Dux, Landgravius Leuchtenbergensis, Cultor D. Sebastiani præcipuus, ac liberalissimus, qui Sacellum totum quantum suis sumptibus, unà cum ara marmorea, nec non Christi Cruci affixi imagine justæ magnitudinis totâ argenteâ operis fusilis, cum duabus aliis Statuis pectoralibus argenteis, SS. Sebastiani & Rochi hûc quoque donatis, principe sanè munificentia

*Sacelli Princeps Benefactor & Reconditor.*



262 *S. Sebast. M. Propr. ac Magnific. &c.*  
extrui curavit. Id, quod loquitur ad  
perpetuam rei memoriam, Divique  
Sebastiani honorem scutum, ac mo-  
numentum muro immissum, hac,  
quam apponimus, Epigraphe, au-  
reis literis exaratâ:

*Inscriptio  
Sacelli.*

## S. SEBASTIANO

*Sacrum Sacellum*

*In hanc, quam cernis, elegantiam  
provexit*

*Sereniss. ac Reverendiss. Princeps  
ALBERTUS SIGISMUNDUS*

*Episcopus Frising & Ratisbonensis,  
Utriusq; Bavar. & Palatin. Sup. Dux,  
Landgravius Leuchtenbergensis &c.*

*Cujus are Ara ex Marmore,*

*Parietes ex gypso,*

*Ac geminæ SS. Sebastiani & Rochi  
ex argento imagines*

*Ejusdem Serenitatis munificam  
pietatem loquuntur,*

*Quâ Sereniss. & Reverendiss. Princeps  
Patroni sui Patronus & Cliens*

*Sua*



*Peregrin. contin. quot annis Eber sp. &c. 263*

*Sua in Divum Venerationis*

*Hoc monumentum posuit*

*Anno M. DC. LXX.*

His, quod addam, non habeo, nisi quod magnificentissimum hoc Sacrarium laudent, quotquot invifunt, ceu tanto Principe dignum, tam ab architectura, quam à pretio & elegantia, ac, quæ reliquorum caput est, à Religione,

§. V.

PEREGRINATIONES  
MULTÆ ET CONTINUÆ  
QUOT ANNIS EBERSPERGAM AD  
D. SEBASTIANUM INSTITUI  
SOLITÆ.

Quod à propitia & humani generis amante natura fieri passim videmus, hoc aktiore quodam ordine ac beneficentiâ nobis præstat in Sanctis suis DEUS, imaginis suæ & facturæ amator sanè liberalissimus. *Experientiâ con-*

R 5 stat,



stat, naturæ beneficio, quæ se ubi  
 que agnoscendam præbet, locis plu-  
 ribus salutare hinc inde thermas  
 scaturire, quarum fons, nescio quæ  
 arcanâ imbutus virtute, ebullit in  
 publicum adversus mille infirmita-  
 tes & morbos fortis ac efficax. Ad  
 ejusmodi ergo piscinas probatas,  
 ubi vi suâ medicâ se prodiderunt,  
 velut ad commune quoddam per-  
 fugium, certis anni mensibus ad-  
 repunt grallis suis centum ægri ma-  
 lè à morbis habiti; alios curribus  
 & equis, lecticis & rhedis illuc de-  
 portari videas, eâ duntaxat spe, ut  
 meliores domum redeant, quam  
 venerint, & sanitatem aquis illis  
 lucrifaciant. Quantò autem re-  
 ctiùs hoc ipsum fieri existimemus,  
 & quidem supra naturam, quæ se  
 imbecillem fatetur, in locis qui-  
 busdam prodigiosis, ubi benignis-  
 simo DEO miracula quædam ægris  
 mortalibus impendere, & cælestia  
 sanitatis beneficia distribuere lubi-  
 tum



tum fuerit? Eò, ubi hoc fit, jam usu quodam, meritò accurritur à miseris; eò peregrinationes instituantur; eò se ferunt omnes, quotquot Medico supra vires naturæ, quotquot gratiâ, & beneficio indigent.

Quod igitur olim antiquis Christianis, & maximè Germanis nostris solenne fuit, ut Terram Sanctam Redemptoris nostri vestigiis tritam, pretioso sanguine coloratam inviserent, Sepulcrum Christi adirent, licet per fulgurantes Sarcenorum acinaces & mille obices perrumpendum magis interdum, quàm transeundum fuerit: quod hodie dum multis fidelium diversarum nationum usitatum, ut Laurentanam Ædem, Angelicis humeris vectam peregrinatione colant, ut Apostolorum limina salutent, & ad Piscatoris pedes se abiiciant, ut Romam in Italia, Compostellam in extrema Hispania, Coloniam Trium

*Peregrinationes veterum Germanorum.*



um Regum in Germania, Sacram  
 Eremum in Helvetia, Cellas in Svy-  
 ria, Czestochoviam in Polonia,  
 Oettingam veterem in Bavaria, &  
 cetera Divorum pulvinaria piè ac  
 religiosè visitent, secùmque corpo-  
 ris animique favores domum re-  
 portent: Idipsum Eberspergæ no-  
 stræ, si parva magnis illis compo-  
 nere licet, évenit, ut tanquam gra-  
 tiarû locus à multis millibus adea-  
 tur, & hodiernam in diem tot jam  
 seculis nihil de fama sua imminue-  
 rit. Videre quandóque est inte-  
 gras Bavarix Urbes, intérque illas  
 ipsam Metropolin Monachium,  
 longâ serie, volantibus signis, ex-  
 plicatis Labaris, ardentibus Cereis  
 pulchro ordine adventantes, Eber-  
 spergam non sine pompa ingredi,  
 ut à D. Sebastiano temporum ho-  
 rum Medico incolumitatem Cor-  
 porum, aëris salubrem haustum,  
 ac spiritum, & cetera concredit  
 sibi populi desideria consequantur.

*Peregrinatio  
 Ebersper-  
 gensis.*

Eber-  
 Urb-  
 imit-  
 pagi-  
 sti-  
 don-  
 min-  
 tatis-  
 nis-  
 pon-  
 tena-  
 part-  
 com-  
 long-  
 præ-  
 lucu-  
 de f-  
 laru-  
 flag-  
 nita-  
 dine-  
 Has-  
 bes-  
 stitu-  
 ut,  
 rum  
 Urbi-



Urbiū præcipuarum exemplum imitantur multò plura Oppida & pagi, D. Sebastiano perquam additi. Plerique eorum etiam cum donis veniunt, ne in conspectu Domini vacui appareant. Liberalitatis testimonia pariter & Religionis tot ferè sunt, quot ingentis ponderis Cerei, quorum aliqui centenarium superant. Stant illi ex parte Navis sinistrae Templi, loco comodissimo serie continuâ quàm longum templum est: in festis præcipuis flammam concipiunt, ac luculentum fervoris sui specimen de se edunt: Si una harum candelarum ad fundum suū propiùs deflagaverit, sumptu illius communitatis ultrò in antiquam magnitudinem de novo ex cera refunditur. Has sacras excubias Eberspergæ Urbes, Oppida, & pagi locò sui constituunt, ceu quosdam Vicarios, ut, quoniam incolæ & Cives eorum locorum Eberspergæ adesse sem-

*Prægrandes  
Cerei Eberspergæ.*



semper non possunt, saltem testis  
 pietatis continuos ibidem habeant,  
 qui ardente lychno, ceu quadam  
 igneâ linguâ, profiteantur, se le-  
 gem implere, quæ jubet, ut ignis  
 in Altari Domini semper ardeat, &  
 Christianæ pietatis fervor nun-  
 quam extinguatur. Finis porrò hu-  
 rum Urbium, Oppidorum, & pa-  
 gorum, qui votivis hîc loci candela-  
 lis D. Sebastianum hæcenus colue-  
 runt, & colunt etiamnum, non est  
 alius, nisi vel gratus animus, quod  
 tempore contagionis à peste libe-  
 rati sint, vel certè laudabilis solici-  
 tudo, & ut ita dicam, pia quædam  
 præoccupatio, ne illo communi  
 malo aliquando corripiantur. Ad-  
 suntq; propterea plura scripta do-  
 cumenta, quibus integræ Commu-  
 nitates testantur, se ope D. Seba-  
 stiani vel præservatas, vel incre-  
 scienti lui tempestivè ereptas.

Ut verò hæc ipsa Religio magis  
 ac magis foveatur, piis peregrinis



magnâ aliâs opinione & fiduciâ in S. Sebastianum jam imbutis, præter salutaris Cranii haustum, publicè in templo exponuntur sagittæ minoris formæ ex stanno fusæ ac elaboratæ, attactu ejusdem Cranii priùs consecratæ, cæque gratuitò omnino, ac sine nundinatione, quas secum domum referunt, ceu sacras quasdam manubias, quibus & ceteris domesticis fidẽ faciant, quòd Eberspergæ fuerint, quâsque, ubi necessitas exigit, potui suo immergant, ut hoc medico haustu ardentibus febres restinguant, vel pestem ipsam abs se avertant: id, quod sæpe scripto ac verbo testati sunt, qui propinatam ejus liquoris virtutem sensere.

Harum autem peregrinationum, præter ea, quæ diximus, fructus sanè existit multiplex: Nam plerumque ipsorum sarcinam peccatorum, quâ onusti venerant, etiam à primis conscientis annis Eberspergæ relin-

*Sagitta Benedicte & attactu Sacri Cranii consecrate.*

*Fructus Peregrinationis Eberspergensis.*



linquunt, ita, ut plerisque annis  
 generales Confessiones à tota vita  
 excipiantur trecentæ, aliquando  
 etiam plures. Aliquoties per an-  
 num Sacra tribunalia adeò ob-  
 dentur, tamque conferto populo  
 premuntur, uti Sacri Quæstiones  
 quadam, ut ita dicam, custodia  
 corporis ac satellitio opus habeant  
 ad arcendam importunam com-  
 pressionem. Sæpius per annum  
 primò manè & ipsa Aurora Patres  
 ultra meridiem distinentur ab-  
 vendis pœnitentibus, qui macule  
 suas, & contritum animum sumunt  
 cum singulari fiducia & quasi ex  
 instituto Eberspergam ferunt. Ac-  
 cedit, quòd non rarò ab orthodoxa  
 fide alieni, vel occasione itineris  
 vel piæ mentis affectu huc trahi  
 hæresin isthïc suam deponant, &  
 ad matrem redeant, non tam ac-  
 ceptæ Fidei, quam Natalis loci,  
 quo obstetricante Divinâ gratiâ Ec-  
 clesiæ redditi sunt, deinceps me-

mors



mores. Néque illud híc omisero, quod parvi filii quandoque à parentibus in comitatum itineris assumpti, & Eberspergam adducti tenerum pietatis sensum atque reverentiam imbibant, & grandem de loco existimationem concipiant, qui character, haud facile debilis, primæ tabulæ commendatus postmodum in serum Nestorem apud plerósque durat, imò cum tempore ad filios & Nepotes hereditariò transit. Cetera sacrae Peregrinationis commoda, & emolumenta pius Lector faciliùs mente concipiat, quàm nobis scribere lubet, ne vel nimis exacti in proprio argumento, vel laborum nostrorum æstimatores plùs æquò fortè gloriosiores videri possimus.



S

CA.